







71.

De anulorum aureorum

ORIGINE, VARIETATE,
VSV, ABVSV,
IVRE, EFFICACIA.

PHRONTISMA PLINIANUM
ARITHMOLOGICUM.

*Numarij operis Caesarum, Regum, Electorum, Archiducum, Ducum &
Principum praeludium & solidioris studij specimen, Cedro dignum, cui accessit
commendatio anulorum Historica Hugonis Grotij Batavi.*

Recensente

HENRICO KITSCHIO LIPSICO M. B.
IANUARIUS.

Perit omne tempus quod studijs non impenditur.
Plinius II. ad Marcum.



*Dr. Cruij
V. Juno
Wolke*

LIPSIÆ,

Anno æræ Christianæ.

anVLos pretiosos aMoris LVDIbra reor.

MDLXVII





Pythagoræ Symbolum.

Μὴ φορεῖν σενὸν δακτύλιον h. e. arctum anulum
ne gestato

*Quo ex D. Hieronymi interpretamento, non esse
anxiè vivendum admonemur: quippe cavendum,
ne nos in eam servitutem demergamus, è qua vix
ac ne vix quidem enatare possimus. Joan. Pierius
l. XXXVI. Hieroglyphicorum.*

Plautus Bachidibus.

*Nimio prestat impendiosum te quam ingratum dicier
Illum laudabunt boni: hunc etiam ipsi culpabunt mali.*

Illu-

Illustrissimis, Generosissimis &
Magnanimis Principibus ac Dominis,

Ex antiquissima BERINGERORUM stirpe
FAMILIAM ducentibus.

DN. IOHANNI-GEORGIO.

DN. CHRISTIANO.

DN. AUGUSTO.

DN. RUDOLPHO.

DN. LUDOVICO.

Principibus ad ANHALT Comitibus ASCANIENSIBUS:
Dynastis Territorij BERNBURGENSIS

&

SERVESTANI.

Ferrrrr. bus Unitissimis, indivulsâ copulâ junctissimis &c.

Dnnnnn. suis Clementissimis, Benignissimis
Perpetua fide & summissione, colendis, complectendis:

Opellam presentem.

Paulo post subsecutura & comparitura, præter operis Nu-
marij elaborationem, Chronologica Syntaxeos
Monarchiæ ultimæ.

PRODROMUM

STRENÆ LOCO.

Devotissimè nuncupat & paratissimè offert
autor Chronologizans

anni InItIVM faVstè proCeDat, opto.



De
ANVLORVM AV-
REORVM ORIGINE, VARIE-
TATE, VSV, ABVSV, IVRE,
EFFICACIA.

Racematio Pliniana Arithmologica.

I.



Riplicem omninò anuli olim apud Priscos tam Græcos, quàm Latinos usum fuisse, naturalis ille Historiæ Scriptor terfissimus Plinius affirmando perhibet.

2. Erat enim anulus Nuptialis, sponfalium, sive Pronubus Ter-
Mahlring. In Apolog. advergentes p. 22.

3. Erat Honorarius dignitatis atque honoris: ordinis equestris insigne Horatio teste, sicut senatorij
Uhr und Standring. l. 2. Serm.
 latidavus.

4. Erat sigillarius, signatorius Valerio Maximo, sigillaris (a) Gorlæo, & signatitius Alexandro (b) Sar-
l. 2. c. 2. Petschiring. a. parte 1. Daßylthecca. b. l. 2. de morib. Gentium. l. 33. c. 1. N. H. anuli digitorum pigmenta.
 do custodiæ & Secretorum index.

5. De quo triplici genere, non pridiana illa sed per-
 vetusta Plinij querela exstat: pessimum vitæ scelus
 fecit, qui anulum primus induit digitis.

6. Adjungit promiscuam illius originem. Nec hoc



*Incerta anulo
origo.*

*Annulus ferreus in
usu maxime apud
Priscos.*

*2. & 10. Dial. de re
publ. 3. de offic.*

*Γύγης δακτύλιος
Lucianus.*

*Tala Græcis dici-
tur σφραγίδος
λόγιον anuli pars,
in qua gemma sedet
funda Sibero &
πυελος Stephano.*

*Der Ballen o,
der Rasteam
ringe.*

L. r.

quis fecerit traditur. Nam de Prometheo fabulosa omnia arbitror: quanquam illi quoque ferreum dederit anulum antiquitas, vinculumque illud non gestamen intelligi voluerit.

7. Midæ quidem anulum, quo circumactō habentem nemo cerneret, quis non etiam fabulosiorem fateatur.

8. Hujus anuli Plato meminit & ex eo Cicero, eloquentiæ laet.

9. Nec non Gygis armentorum pastoris anulus proverbio nobilitatus est, cujus tanta efficacia fuit, ut si fortè gemmam anulo inclusam introrsum verteret repenti fieret ἀφαιεῖται.

10. Rursum anuli palā extrorsum conversā, mox pastoribus conspicuus esse cæpit.

11. Ejus rei cum ille diligentius & sapius fecisset periculum, jamque sat exploratum haberet, hanc inesse vim anulo, ut versā ad se gemmā inconspicuis esset, versa ad alios conspicuus, effecit, ut pastorum nomine legatus ad regem amandaretur.

12. Profectus regiam uxorem constupravit, & de Rege trucidando cum ea consilium iniit.

13. Ita re ex animi sententia confecta, reginā in matrimonium ductā & pastore repente factus est Rex, idque anuli beneficio.

14. Sed Herodotus rem multò aliter narrat, nec ullam facit anuli mentionem.

15. Promethei verò ita habet fabula; olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Iove damnatum, sed ea conditione statim liberatum, ut anulum ex lapide ferroque gestaret, ne omnino à pœna videretur liber.

16. Hæc

16. Hæc tamen fabulosa esse, argumento sunt anti-
quitatis anuli.

17. Isti quærelæ ejusdem exclamatio addenda ibi-
dem: Deniq; ut plurimum opum scelera anulis fuit.

18. Quanti æstiman. Priscorum vita? innocen-
tia? in qua nihil signabatur.

19. Ac miror: cibi quoque & potus vindicantur
anulo à rapina.

20. Mox subdit: sed aliter apud antiquos finguli
Marcipores, Lucipores, Dominorum Gentiles, om-
nem victum in promiscuo habebant: nec ulla do-
mi custodia à Domesticis opus erat, &c.

21. Primum autem anuli vestigium repetit, à Poly-
crate Samio, cui dilectus ille anulus inclusam ha-
bens ingentis pretij Smaragdum in mare abjectus
capto relatus est pisce, ipso circiter 230. annum ab
V. C. interfecto.

*Herodotus l. 1. c. 122
eo D. Chytraus.*

22. Apud Romanos celebrationem usum cum fœ-
nore cæpisse indicio esse dicit vulgi consuetudinem
ad sponsiones etiamnum anulo exfilente, ita ut nu-
mi antè cœperint quam anuli.

*Bürgschaffe
numi antiquiores
anulus*

23. Quanquam videri potest secum pugnare scri-
bens paullo post, argentum signari cæpisse anno Vr-
bis 185. annis quinque ante primum bellum Puni-
cum, ut aurium post annum 62. cum tamen anulo-
rum vestigium antiquius faciat, quando sc. impera-
runt Reges.

C. 3. eiusdem libri.

24. Excusandus tamen Plinius, antiquiorem nu-
mi fuisse usum autumans, non tamen signati, non ar-
gentei, sed ærei, si digna tamen excusatio.

C. 1. lib. 33.

25. Venisse autem è Græcia Romam, cum etiam
suo tempore Lacædemone ferreo uterentur.

26. Quo-

26. Quocirca miratur Tarquiniorum statuas,
(quorum è Græcia origo) sine anulis esse.

l. 8. Odysf.

27. Addit : nec Iliacis temporibus in Græcia fuisse.

*p. 223. ex recensione
H. Giphanii.*

28. Nusquam enim Homerus hoc affirmat, cum &
codicillos missitatos epistolarum gratia indicet, &
conditas arte vestes, ac vasa aurea argenteaque, col-
ligata nodi non anuli nota, quasi digito hos ejus
versus notans, quos latinè prorsus oratione tibi do;
Græcos ipsemet lege.

*Xenia Ulysi à
Phœacibus oblata.*

29. Posthæc Arete pulchram è thalamo hospiti
arcam detulit, in eaque condidit elegantia dona, ve-
stemque & aurum, quod ei Phœaces dederant. Et
in ea pallium posuit, pulchramque tunicam, & ipsum
alloquuta &c, Tu nunc aspice operculum & statim
nodum injice, ne quis in itinere noceat, fortè surri-
piendo.

30. Vbi annotat Eustathius ex sequentibus versi-
bus : cum Nodum injicit arcæ claudendæ : vetus, ut
ajunt, mos erat obsignari seu mavis, obserari vincu-
lis, sive nodis.

*Inventio clavis cui
accepta ferenda sit.*

31. Nam recentiorum est clavis, Laconicum in-
ventum.

32. Et longè severior clavicula vario & diverso
nodo.

33. Astutissima ratio tutandi, quam oderunt gulo-
sæ apud Comicum fœminæ.

34. Hinc in proverbium abiit Vlyxeus nodus, de
rebus benè obsignatis, & nodus Gordius, nodus
Herculanus de re indissolubili, inexplicabili. Hinc
Seneca : Vnus tibi nodus, sed Hercules restat.

Ad Lucilium.

35. Observetur, ab interpretibus Homeri, Eobano
Hesso & Andrea Divo perperam veri *πώμα* pocu-
lum sive calicem.

36. Non

36. Non enim hoc vult Homerus, sed *στέπασμα*
operculum *αὐτῆς* arcæ & planè id sequentes verius
indicant, cum arcam ab Ulyssæ signatam, obseratam
nodo à Circe accepto, canat.

37. Et ex Atteio Capitone IC. Macrobius, veteres *L. 7. Satur. c. 15.*
non ornatus sed signandi causa anulum secum cir-
cumtulisse.

38. Vnde nec plures habere licuisse quàm unum,
nec cuiquam nisi libero, quos solos fides deceret,
quæ signaculo continetur, & plæraque alia in eo per *σφραγίδες.*
te lege.

39. Haud gnauorem veræ fuisse antiquitatis Plini-
um, liquidò apparet.

40. Nos ex S. S. historiâ omnes aliarum gentium
annales antiquitate & fidei certitudine excedente
anulorum usum, maxime vero nuptialium cum ipsa
ortum civilitate atque humanitate, luce meridiana
clarius demonstrando evincemus.

41. Nam antiquissimis Patriarcharum tempori-
bus viguit. Quæ sanè tempora omnem Græcorum
superunt, quantumvis licet vetustissimam ipsorum
etiam Heroum memoriam.

42. Tradit enim Moyses, Pharaonem Ægypti Re- *Gen. 41. v. 42.*
gem post Somnij regij exegefin & interpretatio-
nem concinnam à Iosepho factam, anulum digito
suo detractatum ejusdem Iosephi manui indidisse.
Hic fuit honorarius referente Ioanne Drusio in præ-
teritis N. T.

43. Et eodem libro paullo antè refert inter ea,
quæ pignori sibi à Iuda dari postulabat Thamar, po-
poscisse anulum, ubi vox Hebraica *choram* sigillum
significat. Hic fuit sigillaris.

*Gen. 38. v. 18. Iaco-
bi filius Iuda pro
Arrhabane concu-
bitus anulum dat
cum armilla &
baculo Thamar
nuri sue.*

B

44. Et

44. Et in Exodo piæ feminæ dicuntur anulos suos contulisse in donaria tabernaculi. c. 35. v. 22.

L. 3 Reg. 8. 31.

Esther. 3. v. 10.

45. Diu post impius Rex Achabus signat literas anulo suo contra Nabothum instinctu Iesabelis uxoris. v. 8.

Alexander ab Alexandro l. 2. dier. Jan. 6. 29.

46. Sic Afsuerus, anulum quo utebatur, dedit Hamani.

47. In confesso quoque, Persis non licuisse anulos deferre, nisi Regis munere.

48. Communior olim in Gallijs & Britannia usus, ut mirer, quod adducto sæpiusculè loco scriptitat Plinius: Nullos omninò anulos major pars gentium hominumq; etiam qui sub Imperio nostro degunt, hodiè habent.

Hieroglyphica Aegyptiorum Polidor. Virgilius. B. Arias Montanus de creatione primi hominis p. 65.

49. Non signat oriens aut Ægyptus, etiam nunc literis contenta solis, cum ex libro Generationis demonstrarim, valdè priscum fuisse anulorum usum in Palæstina & Ægypto.

Tacitus l. 2. annal.

50. Sigillaris verò usum non extitisse apud Parthos, Tacitus commemorat, ubi de Vonone Parthorum rege, qui à patriis institutis degenerârat, pluribus agit, Græcis tùm vilissima utensilium anulo claudentibus.

ἄνυλος dictus anulus ein Fingerreich.

51. Ab hoc signandi usu Græci pariter & Latini ὀμοθυμαδὸν à digitis ἀνυλίων & Ungulum dixerunt.

Anulus à forma circulus dictus ἀνυλὸν τὰ ἀνθρώπων ἢ ἰσθμῶν Herodot.

52. Nam anuli nomen à circulari figura desumptum, vulgò notum est, quod & podici ob eandem causam datum: anum enim quasi anulum vocamus. Ioachimus Camerarius pater de part. corp. humani. pag. 103.

53. Ad Romanos redeo, apud quos frequentiore usum non deprehendi ante Cneum Flavium Anny

F. notat

F. notat Plin. qui ob publicatos plebi dies Fastos E-
jus gratiam adeptus extraordinarijs afficitur hono-
ribus, ob quos vel à Senatu, vel à nobilitate indi-
gnante abjectos anulos probant Annal. vetustissimi:
54. Promiscui enim usus vestigium extat 2. Bello
Punico.

55. Neque enim aliter potuissent trimodia illa a-
nulorum Carthaginem ab Hannibale mitti.

*Tres anulorum mo-
di Carthaginem missi
ad expedienda no-
mina.*

56. Huic tamen mensuræ dimidium addunt mo-
dium quidam, quidam modium demunt, imò & al-
terum, quam tamam veriore esse affirmat Livi-
us.

*Lib. 27. ab urbe
condita.*

57. Sed de promiscuo usu deceptus & delusus fu-
it ex Magonis verbis Plinius.

58. Tamen si ne tunc quidem Senatores aureum
habuerunt, utpote cum memoria avorum, inquit I-
dem, multi Præturâ functi in ferreo consenuerint:
quorum exempla producit ex Fenestella & Scau-
ro.

59. Et major pars iudicum Augusto Decurias or-
dinante in ferreo fuit.

60. Ut nihil sit mirum, si tanto ante Marius etiam
de Jugurtha triumphans gestarit ferreum: aureum
verò non nisi tertio consulatu.

61. Et legati, quibus aurei publicè dabantur, in
publico tantùm usi: intra domos ferreis.

62. Quo argumento etiam nunc, Idem inquit,
sponsæ anulus ferreus mittitur, isque sine gem-
ma, quem cassum literatores appellant & simpli-
cem.

*Isidor lib. 2. Orig.
Cassus anulus
Ein einfacher
Ring.*

Cap. 6. Apolog. et.

Aurum & argen-
tum Principes ma-
teria ceteris secula-
ris.

Ein Jahrbuch.

Lex Theatralis.

Aelius Lampridi-
us in vita illius.

63. Quam ob rem de posterioribus accipiendum seculis, quod scribit de aureo Tertullianus : Cum aurum nulla nôrat, præter uno digito, quem sponsus oppignorasset pro nubo anulo.

64. Et hujus ævo pauci videntur fuisse aurei : Sic enim alibi scribit de habitu muliebri cap. 5. Nam & anuli ferro fiunt,

65. Quo loco de sententia Varronis, ferrum auro præfert, tanquam validius & consuetius : gemmas minutalia terræ : Conchas maris poma : Vnio- nes concharum verrucas sive tubera nervosè admo- dum indigitans.

66. Sanè cap. 2. citati libri Plinius asserit, constitu- tam anulorum autoritati formam, anno 9. Tiberij Imperatoris, Asinio Pollione & Cajo Antistio Ve- tere Coss. Anno V. C. DCC. LXXV. futili poenè de causa, cum Cajo Sulpitius Galba, dùm juveni- lem famam apud principem popinarum poenis au- cupatur, quæstus esset in Senatu, vulgò Institores e- jus culpæ defendi anulis.

67. Hac de causa constitutum, ne cui jus ejus es- set, nisi ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia CCCC. census fuisset, & Lege lul. Theatrali in Or- dinibus sedenti.

68. Postea certatim insigne id appeti ceptum.

69. Signum autem equestris Ordinis fuit gestatio anuli, sicut senatorij tunicæ applicatio : Cum tamen etiam Senatores gestârint anulos.

70. Sub Alexandro vero Mammæ Equites Ro- mani à Senatoribus clavi qualitate distincti : Sicut antehac in Dissertatione nostra de Magistr. Roma- nis docuimus.

71. Ap-

71. Appianus autor est, Tribunos in exercitu Romano aureis, reliquos ferreis anulis decoratas habuisse manus.

In Historia Lybia.

72. Et eorum discrimina ex forma anulorum cognovisse Asdrubalem, narrat alibi Dion, à quo, ut mortui inhumarentur per Caduceatorem petierat P. Scipio.

73. Imò non per Caduceatorem, sed per solutum, à vinculis captivum.

74. Et quod ad epistolarum obfignationes anulorum factas attinet, etiam apud Suidam locus est apertus, Annibalem, cum Marcellum vidit occisum, adversis vulneribus omnibus, ut militem, commendasse, damnasse, ut ducem, detractò ipsius anulo literas obfignasse.

75. Constat tamen in historia Romana non planè hospiti, in libera Repub. non fuisse jus servo vel libertino anuli aurei in publico: sed hic argenteo, ille ferreo utebatur, liber aureo.

Carolus Sigonius de Antiquo Iure
Civium Rom.

76. Communicatum deinceps honorem etiam libertis Macrob. Autor est, lib. 7. Saturnal. c. 15.

77. Sed & olim Romani Imp. solebant, cum hostes superassent, optimè gestà Repub. Scribas suos anulis aureis in concione donare.

*Der Scribentē
Privilegium.*

78. Itaque Cicero queritur, quod indignissimos in concione eo munere affecisset Verres.

*Orat. 4. & 5. in
Verr.*

79. Ultra unum autem habere anulum aureum infame erat, quo crimine Mævium Gracchus est persecutus.

80. Nam & invidiosum Sergio nomen in positum

*Aurata à maculis
ein Fore.*

Oratæ, quasi Auratæ, ab auro, quod Orum veteres dicebant, Itali Oro, quia duobus anulis aureis, iisq; grandibus, usus.

Lib. 3. c. 9.

81. Macrobius, & quem secutus Vlysses Aldrophantus ex Hieronymi Mercurialis libris variarum lectionum &c. à pisce Aurata cognomen eum traxisse produnt, cuius erat appetentissimus.

L. 2. germ. Sat. 7.

Davus servus heri vitia castigans vitiam suam inculpationem esse ostendit.

82. Hinc illud Horatij:

———— sæpe notatus
cum tribus anellis, modo læva Priscus inani,
vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas.

Anuli bigemmes.

83. Crassus tamen ille dives apud Partos occisus duos gestabat cum gemmis, prætexens crevisse sibi divitias, quasi anulus foret symbolum opulentia.

84. At feminis licitum erat binos aureos gestare.

85. Sed crescente luxu oneratos anulis digitos quæritur Plinius apud suos.

In Nebulis.

86. Sic Aristophanes Græcos suos insignivit *σφραγιδουχοχαργγοκομήτας* homines scilicet voluptuarios, a fotos, in coma nutrienda plus æquo operatos, & qui vel ad ungues usque anulis digitos onerent, Iudaizantes non religionis quidem professione, sed anulorum potius prodigiosa jactatione.

Vox decasyllaba.

87. Et apud suos Tertullianus sinistra per singulos digitos de singulis faccis ludit (alii legunt trudit ineptè.)

Cap. 9 de habitu m. libri.

Fr. Iunius interpretatur saccos numarios nixus autoritate Horatij l. 1. germ. & l. 2. Sat. 3. Plin. l. 33. cap. 2. & 3.

Lib. 37.

88. Lamentatur idem Plinius eodem libro, luxum tantum suo ævo inolevisse apud plebejos etiam, ut imagines gestarent in anulis, qui tamen mos fuit antiquissimus.

Lib. 5. de fin. bon. & mal.

89. Nam & Cicero Epicuri familiares tradit ejus imagi-

imaginem non modo in tabulis, sed in poculis & in anellis habuisse.

90. Proprium verò anuli locum digitos ferè omnes intellexit antiquitas.

91. Quare Plautus facetè irridet Pœnos, qui aures ornabant anulis, ac si digitos in manu nō haberent. Plaut. Pœnulo act. 1. Sc. 2. Inaurat. Milphio viden' homines sarcinatos consequi? At, ut opinor, digitos in manibus non habent. Agorastocles: Quid ita? Mil. quia incedunt cum anulatis auribus.

92. Hinc Martialis:

Gemma vel à digito (scil. annulo inclusa) vel cadit aure lapis. Lib. 5. Epigr. 110.

93. Et iterum idem Autor ad Stellam:

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Iaspidas uno, portat in articulo Stella, Severe, meus.

Multas indigitis, plures in carmine, gemmas invenies: inde est hæc; puto, culta manus.

94. Fuit autem olim ut & hodiè duplex exprimendi effigies in quacunque materia modus: Scalptura & celatura: Illam γλυφικὴν, hanc ἀναγλυφικὴν appellant Græci.

95. Illa excavando materiam opus suum scalpro exercet, incisæque exhibet imagines rerum: hæc circumcidendo cœlo easdem prominentes vel protuberantes exprimit. Cælum γλυφικόν das Grab-eisen. Hinc Quintilian. Celata calum: pro For penicilla desiderat.

96. Opponuntur itaque sibi mutuo scalpere & cœlare.

97. Plinius secundus Nepos ἀποσφράγισμα vocat omne id, quod sigillo incisum.

98. Hac arte apud omnes excelluit Pyrgoteles, à quo solo Alexander M. vultum suum in gemmis exprimi

Ein Stein

Schneider.

Ein Grabstein.

*Luxuria Magistris
sicut ap Romanos
Magistris Cereoni-
arum Onuphrus
Panvinus.*

*Jacobus Treccia do-
mitor Adamantis
Vide Antholog no-
stram Guevaria-
nam.*

*Gentilitia insignia
Hispaniarum regu-
m Adamanti inaudito
modo insculpta.*

*Unde facilius sculpu-
ra gemmarum.*

*Dignitas & ius
anulorum.*

*L. 7. de beneficiis
cap 26.*

Exhoben.

*Macro explorator
sive delator Roma-
nus.*

primi volebat: & Dioscorides sigillorum Augusti scal-
ptor nobilis, nec non praxiteles statuarius insignis.

99. Nec ullum fuit lapidis pretiosi genus modo
aut scalpro, aut cœlo corrumpi posset, quod anti-
quis illis luxuriæ magistris intactum sit relictum.

100. Soli Adamanti, ob indomitam, ut credeba-
tur, duritiem, parcitum.

101. Sed hunc quomodo vitaret, ætas etiam no-
stra reperit, primusque hujus inventi autor celebra-
tur Mediolanensis quidam, Jacobus Treccia (refe-
rente Guevarra Cubiculario & Historico, Horolo-
gij Principum Autore, tertia vice nunc recurati o-
perâ Iohannis V Vanckeli, impensis verò Henningi
Grosij Senioris, viri bono publico planè nati) qui
Philippi Hispaniarum Regis Gentilitia insignia Ada-
manti summa arte insculpsit.

102. Etsi verò omnes gemmæ ad usum sigillorum
inciduntur, tres tamen maximè ad hoc usus aptan-
do artari possunt. Achates, Onyx, & Sarda, eò quod
ceram non trahant ac sine labe effigiem quamcun-
que exprimant.

103. Anulos quemadmodum & numos latrinæ
aut lupanari inferre locovè obscœno ad movere ca-
pitale erat sub Tiberio. Quo tempore fuit accusan-
di frequens & poenè publica rabies quæ omni civili
bello gravior togatam civitatem confecit.

104. Nota est enim Pauli viri Prætorij apud Sene-
cam historia, qui cum in convivio quodam cœna-
ret, imaginem Tiberij anulo gerens excisa & emi-
nente gemma, accidit ut fortè matulam sumeret ad
lotium reddendum, quod factum simul & Macro ex
notis illius tempestatis vestigatoribus notavit.

105. At

105. At

105. At servus illicò Patrono ebrio & non sentien-
ti anulum detraxit, cumque Macro convivas testa-
retur, ad motam esse imaginem Cæsaris obscœnis, &
jam subscriptionem componeret ipso etiam reo fa-
tente ostendit in manu sua servus anulum, atque ita
calumniatorem frustratus est.

*Subscriptio contra
bonos mores.*

106. Sinistræ manus digitus, qui minio est proxi-
mus, semper iudicatus anulo gestando aptissimus.

107. Rationem hanc olim reddidit vetus Gram-
maticus Apion Polyhistor, ut legitur apud Gellium
& Macrobius, quod insectis & apertis humanis cor-
poribus, ut mos in Ægypto fuit per Anatomen re-
pertus est nervus quidam, ab eo uno digito subtilis-
simus ad cor hominis pertingens.

*L. 10. c. 10. Att.
Noct 1. 7. Saturn.
cap. 12.*

108. Quare non inscitum visum eum potissimum
digitum tali honore decorandum, qui continens &
quasi connexus esset cum principatu cordis.

109. Alteram Macrobius: quod in eo digito gem-
ma anuli ab omni noxa tutissima videretur: quasi
verò jam inde ab initio gemmæ includerentur anu-
lis.

110. Tertiam Plinius anulos fastidians probavit, ut
lateret genus luxus. Ego priorem probo & ad finem
nunc accingor.

111. Modus gestandi anulos dispar apud Romanos
& Germanos fuit.

112. Nobis enim hodie sinistra manu gerere anu-
los admodum est familiare.

L. 22. c. 24.

113. Hinc Plinius: Manus & prorsus sinistra maxi-
mam autoritatem conciliavere auro idque studio &
data opera, quod dicitur, in principio autumat fa-
ctum ab eo, quem inventionis puderet.

C

14. Nam

114. Nam si honos secutus fuisset, dextra ait erat ostentandus: & si impedimentum in ea quis obicerit, longæ majus in læva prætendi posse, qua scutum rapiebatur: nisi fortè avaritiæ hoc datum quis putaverit, quo scilicet minus attererentur.

115. Dextrâ etiam gestari volitos illustri ex sacra historia exemplo comprobari potest, dicente Propheta Ieremia, apud quem Deus in hanc formam loquitur.

Ierem. 22. 2. 24.

116. Etiam si esset Conja Ioakimi filius Regis Iudæ sigillum in manu dextera mea: tamen inde evellam ipsum.

117. Ex quo loco colligitur anulos signatorios dexterae manui aptari solitos, utpote digniori & magis conspicuæ.

118. Digitis qui minimo proximi sunt gerere anulos mos fuit primum, postea pollicis proximo induere, idque etiam in Deorum simulacris.

Ein Corniel.

119. Datus autem est indici *κορίαν* & minimo Amethystus.

*Medius digitus,
Der subtile
Finger.
ἀνίφρασινωσ
impudicus,
L. 22.*

120. Galli & Britanni medio perhibentur usi, qui solus olim apud Romanos excipiebatur infamiae contumelia notatus ab Atheniensibus *καλάπρυ* & inde dictus id. cynædus sive verpus.

121. Dixi triplex esse genus anulorum sicut ex c. 1. Plinij apparet.

122. Nuptialiū passim in Comiciis Plauto, Terentio, & ijs autoribus, qui de nuptijs commentati sunt, utputa Minsingerus, Hottomannus & Conrad Mauserus & c. non infrequens est mentio.

Alt. 2. Sc. 2.

123. Habes sigillarem ex Plauti Amphitruone de patera quam protulit Alcmena, & quam in cistula obfigna

signatam se putabat inventurum. A. Enimvero
præter alia mira miror maximè si hæc habet pateram Wundermeer
illã. 50, An etiam id credis, quæ in hac cistellula tuo Unverschret.
signo obsignata fertur Amp. saluum signum est. Ad. 1. Sc. 1.

124. Et in Casina Cleostrata materfamiliã loqui-
tur : obsignate cellas, referte anulum ad me.

125. Et alibi : isti qui cum Genijs suis belligerant
parcipromi, qui salinum servis obsignant cum sale. Truculento.

126. Nec non Cicero l. 16. ad Famil. ep. Matrem Kargefilke.
nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes à sale dictum salit-
obsignabat, ne dicerentur inanes aliqua fuisse, quæ um.
furtim essent exsiccatæ. Attende Matronæ industri-
am ! Augustin. l. 9. Confession. c. 8.

127. Alludit huc Horatius :

Et signo læso non insanire lagenæ. L. 2. Ep. 40.

128. Sic etiam Martialis l. 9. Epigr.

Zenas servulus est mihi paternus

Signa, cras melius, Luperce, fiet

Nunc signat meus annulus lagenam.

129. Eo videlicet domus supellex omnis & penus
signabatur, ne quid aut negligẽtia periret, aut furto.

130. Eodem signabantur & literæ ac tabulæ publi-
cæ, nisi velis usurpatum ad hoc munus anulum ho-
noraryum.

131. Cicero ita scribit : sit anulus tuus non mini- L. 1. expl. ad Q. Fra-
ster alienæ voluntatis, sed testis tuæ. trem ep. 1.

132. Sic etiam Testamenta VII. testium signis anu-
laribus muniebantur : & hic honorarius distingue-
bat ordinem Romæ h. e. Equestrem à plebejo.

133. Quem fortassis designat Valer. Max. his verbis : In- L. 7. c. ult.
super suos anulos ei tradidit ; videlicet ne quid ex ea hæ-
reditate, quam non erat aditurus, amitteret.

134. Sane Clemens Alexandrinus Matrifamiliâs
figillarem dat anulum aureum non ad ornatum, sed
ad custodiam, id quod argumentum esse peccati &
injusticiæ demonstrat.

135. Iam vero cum permittat etiam viris, non pati-
tur tamen in eo gestare digito, in quo mulieres, sed
in parvo & parvi extrema parte, quod ita manus fu-
tura fit ad opera expeditior, neque facile excidere
possit infra articulum demissus.

136. Et verò qua sculptura sint formandi anuli si-
gillares à Christianis hominibus, optimis morum
Catechetes docere pergit, præcipiens signacula de-
bere esse columbam, vel piscem, vel navim quæ im-
pellatur vento prospero: vel Lyram, qua usus dici-
Polycrates: vel anchoram navis qua Seleucus Rex,
& piscatorem quoque, ut meminere Apostoli Pe-
tri, & puerorum qui ex aqua extrahuntur.

* Hoc Crost.

ciorum Familia

(Derer von
Krösiog)

multis retrò seculis
arte de bellica can-
tatissima, fama nomi-
nis stupenda anno-
rum 6. 8. supputatio-
ne facta à Tornea.

mento 3. celebrato
Brunsviga anno
post C. N. 996. pra-
clare praecaturus au-
dit, sicut docemus

in des A-
dels Dr-
sprung

quò lectorem remit-
timus non ignavum
Erasmi. Chil. 2. cent.
7. adag 45.

§ Vide An.
haldisch
Cartell. An. 1614.

137. Nec patitur idolorum vultus insculpi, qui ne
respiciendi quidem; non enses, non arcum, * non
vomerem Martis insigne, quia pacis amantes Chri-
stiani: nec pocula, quoniam moderati ac tempe-
rantes.

138. Ac valde eos vituperat, qui amafios vel ami-
cas nudas, § Dulcineas suas imprimant, quorum, ne si
velint, quidem oblivisci queant, imò redeant in me-
moriâ.

139. Constat enim ex veterum monumentis, Eth-
nicos usos varijs sigillorum formis: Octavium Au-
gustum Sphynge primùm, postea Alexandri M.
ima-

imagine: Mecænarem ranâ: Syllam, Iugurtha sedente, unde discordiarum origo inter eum & Marium: Scipionem Majoris F. patris imagine: Cn. Pompejum leone gladium gestante.

140. Sic Lacedæmoniorum Rex Arius Aquilæ signo utebatur, Draconem unguibus comprehendens. Et Ismenias Choraules Amymonem Danai Regis filiam Smaragdo inclusam in anulo gestabat: Pentulus avi sui.

*Josephus lib 12. c. 5
Antiquit. Judaic.*

141. Nero Marsyæ effigiem ab Apolline superati & ad arborem excoriati in sigillo gerebat, Commodus Imp, Fil. Amazonis signo delectabatur,

142. Alexander devicto Dario, quas in Europam destinarat literas suâ: quas verò in Asiam, Darij imagine signavit.

143. Neroni principum flagitiosissimo Sporus Eunuchus in signum nefandi conjugij more inaudito inter ipsos contracti, dono dedit anulum, in quo Proserpinæ raptus cælatus erat.

144. Galla, autore Suetonio, signo usus est canis, caput sub prora navis inclinantis.

145. Plebeis quoque in anulis circumferre effigies, admodum erat familiare,

146. Hinc Leno apud Plautum effigiem militis in literis agnoscens, purus putus est ipse, ait, novum hem, Machæroplacides.

Ballio Truculento.

147. De more Testamentorum anulo obsignandorum dictum paullo antè. Legibus enim constitutum, ut uno eodemque tempore VII. testibus adhibitis & subscriptione testium signacula testamentis imponantur.

C. de Testamentis.

C 3

148. Pos-

*Plures passiorave
ad Testamenti nuncio
pativum requirun-
tur, non de necessita-
te sed consuetudine
potius.*

III. Verrinã.

*L. 5. f. de institund.
ad.*

In Oeconomico.

*Ein Eraring
Annulus Pronubus.*

*Lib. 41. Hieroglyph.
l. 4. c. 3. 12. & 14.
Antiq. Lect.*

Sat. 5.

148. Possunt autem omnes testes & uno anulo signare testamentum. Ad quid enim confert etiam si VII. anuli una sculptura fuerint? uti IC. Papiniano visum est.

149. Sed & alieno quoque anulo signare licet, sicut Cicero indicat, multis signis tabulas Testamenti obsignatas fuisse. Si de Hæreditate, inquit, ambigitur, & Tabulæ Testamenti obsignatæ non minus multis signis, quam lege oporteat, ad me perferre, 150. Porro testes & uno & alieno signare possunt, cum lex non varia VII. signa, sed VII. testium obsignationem requirat.

151. Quin & arrhæ nomine datos anulos observatum ab Vlpiano, ubi, institutor, qui oleum vendiderat, anulum arrhæ nomine acceperat,

152. Custodiam sanè rerum domesticarum ad uxorem propriè spectare Xenophon docet.

153. Mos item olim Christianorum fuit, ut sponsalis anulus arrhæ nomine daretur, & signo fidei insculperetur, h. e. jugatarum inter se manuum dextrarum.

154. Nam hoc Hieroglyphicum est foederis & concordie mutue apud omnes poenè gentes.

155. Ex ea consuetudine numerus quadratus efficitur, h. e. Denarius, qui à Pythagora dicebatur esse prima Quadratura, h. e. perfecta animorum consensio innuebatur hoc symbolo, referente Ioan. Pierio Valeriano & Cælio Rhodigino.

156. In reprehendendo luxu temporum suorum Iuvenalis atque argumentum sumit antiquæ moderationis ex prisco ferreorum anulorum usu, cum suo ævo ne ferrum quidem dignarentur ad pedes mensarum & abacorum, sed eburneos & argenteos vellent.

157. Expresse enim dicit: Nam pes argenteus illis, ad mensas videlicet sustinendas.

158. Et alibi: anulus in digito quid ferreus? ad ornandos digitos erat Priscis, ob auri inopiam, ut Plinius tradit.

159. Nec omittendum quod & Suidas refert, utiles esse mulieribus anulos è succino atque eburneos, putà ad menstrua illorum, sive animi defectione, cum uterum gestant.

Efficacia anulorum.

Krampsfringe.

160. Non hæc superstitio est, sed vis & facultas naturalis rerum de sententia Levini Lemnij-

ἰδιοσυνησια.

161. Plinius ex Fabij Pictoris annalibus refert, Matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinarie cellæ resignavisset, à suis inedia mori coactam. Hinc illud Comici: omnes relevi serias.

L. 14. c. 13.

Terent.

162. Quod iisdem ferè verbis Tertullianus repetit: ubi ego loculos intelligo non obsignatos anulo, sed tantum religatos, ut religari solent funiculis quos dissolvisset.

in Apologetico

163. Non prætereundi Medici, quibus idem jus concessum quod alijs anulis gestandi anulos.

Medicorum Privilegium.

164. Nam Cæsar Augustus cum jam conclamatus videretur, salutem ab Antonio Musa, medico est restitutus ψυχεποσοιαις καὶ ψυχελασταις, quo nomine ampla pecunia fuit donatus, & statua à populo ære collata, anulo præterea aureo ornatus, concessumque idem juris non modo præsentibus sed & futuris, qui Medicos se profiterentur.

Antonius Musa Archiater Imp. August.

Cingendus habetur pro cincto

165. De anulorum efficacia ad medicinas & præstigias obiter dictum.

166. Veterum enim superstitio multum ijs in hac re conciliabat autoritatis.

167. Huc spectant illa apud Aristophanem ἰδὲν προλιμῶ σῦ: In Plus. φορεῶ γὰρ περιμῶ τὸν δακτύλιον, τὸν δὲ παρ' ἐνθάδε δεσχυῖς fuit hic Edamus præstigiator.

168. Fic.

168. Fiebant autem anuli olim certis imaginibus & characteribus insigniti, idque sub certo Zodiaci signo & ad certum astrorum aspectum, conjunctionem & quadraturam, ut vocant.

169. Ita confectos qui gestarent, perpetuò victorem & insuperabilem fore, nec venenorum maleficio obnoxium, amabilem & acceptum reddi principibus & Magnatibus, præcipuè verò hac ratione conciliari optatæ puellæ amorem impudenter asserunt.

Philostrotus in vita illius.

170. Apollonium Tyanæum, anulos ab Iarcha Gymnosophistarum principe dono datos, instar numinis habuisse ferunt ita ut hisce quotidie per vices variatis, maximorum inde secretorum particeps fieret.

171. Sic Alexander Trallianus non postremæ notæ Medicus tradit, imaginem Herculis supinè jacentis leonemque strangulantis, anulo inclusam digitoque gestatam, peculiare amuletum esse ad dolorem Colicum.

Plegmatia.

172. Apud Aristotelem legimus, veteres Medicos implicamentis quibusdam, seu, ut ipse vocat, plegmatijs digitos inferere consuevisse, quæ contexta forent veluti acetabula & cirramenta in piscium quorundam pedibus.

*Trica gallinarum
Fesichen.*

173. Arabes quin etiam videntur plurimum fidei hisce deliramentis tribuisse, unde & hodiè adhuc multi reperiuntur characteribus Arabicis notati: Talismanos id genus anulorum patria lingua vocant.

*Talismanni annuli
Magi dicti.*

174. Tolerabiliores sunt, qui gemmis ipsis plurimum attribuunt facultatis, adversus corporis & an-

mi a

mi affectus mulcendos curandosque quamvis & hi in extollendis illarum viribus nimij, ne dicam, vani sunt, talia hisce affingendo, quæ per somnium, ut puto, in mentem ipsis venerunt.

175. Inter quos Albertus Magnus primum obtinet locum, ut mirer Cardanum virum Philosophum & Medicum doctissimum in investigandis causis harum nugarum bonas horas tam malè locasse.

176. Sed tædet amplius per has impietates, ineptias & deliria decurrere, receptuique canam; dum hoc solum non ut *ὡς πάρεργον ἀνάλωμα*, verius dixerim *κατὰ τὴν ἀνάλωμα* addidero, desperatorum hominum ingenia excogitasse venena anulis cludere, quo vitæ tædio affecti, quotiescunque luberet, necem sibi afferre possent, finemque uti existimabant, miseriæ suæ imponerent.

Ælianus l. 2.
V. H. in Proæ-
miz.

177. Sic Demosthenes summus Oratorum Græciæ hoc mortis genere prævenit Architam Thurinum à rege inimico immissum.

178. Etiam Annibal simili occubuit letho ne infidi regis scelere hosti traderetur Romano.

Annibal's Ro-
mani interitus.

179. Heliogabalū mortis gratiâ etiam tales habuisse anulos traditur: quamvis monstro illi tam sedata mors non contigerit.

180. Hæc sunt, quæ è varijs decerpta autoribus huic sive discursui, sive commentariolo infarcire quasi placuit: longè verò plura & tersiora afferri potuisse me non fugit: Sed in rem nostram quantulacunque sufficiant. Nunc manum de tabula de pro-
verbij sententia. Cicero in Epistolis. Heus tu ma-

D

num de tabula, Magister adest citius quàm putaramus. Erasmus Chil. i. cent. 3. adag. 19.

*Absolvi Dese Anhaltinorum a. d. XIII. M.
Xbris Dionysiani, quo memoria anni ver-
saria recolitur in Fastis Lucie Virginis &
Martyris Siracusane annis A. C. 244.
Henricus Pantaleon p. 376. Diary Historici.*

Anno

VINCIT tanDEM Veritas.

*Hugonis Grotij Batavi, V. C. Commenda-
tio anuli metrica, Elegiaca.*

1. δαυλίω ἀλε-
λῆς. fine ca-
rens.

(a) παντάλωρ
sicut πανμή-
λωρ.

2. Annus dictus
quasi ἐνιαυτός
quod in se rede-
at & revolvatur.

(b) plasmator
hominum igne
surrepto sacro,
Dijs iratis, febrimulctatus est
immissa in ter-
ras autoribus
Hesiodo & Sapho.

4. Anulus liber-
tatis insigne: vi-
de Orat. M. Bar-
thi in promot.

5. Magistr. Li-
psie habitam.

6. Privilegium
Legati, Iudicis
& Centurionis
anulus.

7. Regum, ama-
riorum, amica-
rū dona anuli.

1. **A**nnule principij nusquam pereuntis imago,
Et cui vel finis nulla, vel ipse tibi:

2. Annule, qui Cœli specie redeuntis in orbem
telluris cohibes omni-(a) parentis opes:

3. Annule, qui rigido Lapidem redimite Metallo
fixa Prometheâ (b) vincula rupe refers,

4. Annule, qui tribuis quod jus Natura negavit
Ingenuosque tuo solus honore facis:

5. Annule testis opum quo plebs Romana carere
cogitur, Augustus quem sibi (c) Clavus habet.

(c) pangebatur clavum quotannis Prætor Maximus in templi pariete, ut
ex clavis illis annorum numerus colligeretur, Livius. Insigne etiam ordi-
nis Senatorij Ein Rathherrentleid. ap. Noricos & Vindelicos

6. Annule, Legati sacra quem, quem Iudicis æqua,
quem scutata manus Centurionis amat.

7. Annule, quem donant reges, quem donat amator
quem fovet in tepido dulcis amica sinu.

8. An-

8. Annule, cui commissa penus, commissa supellex
servitij fures non metuere manus;

9. Annule, qui missæ signas arcana Tabellæ,
legitimi sacrum pignus & arrha thori.

10. Annule secreti (d) vindex custodia veri,
qui perhibes pactis, muneribusque fidem.

11. Annule cui moriens & villas credit & agros
Turclamque suæ prolis, opesque pater.

12. Annule, qui pestem, foedumque arcere venenum
pectore, qui (e) PHILTRI crederis esse loco.

(d) Anuli fidei & voluntatis nostræ symbola, nec non mentis secretæ fi-
di indices. Unde Alexander M. anulo Hephæstionis, ori indito silenti
u. n. illi hac ratione imperasse legitur, ne scilicet, quas illi monstrarat li-
teras, alicui vulgaret.

(e) Amatorium poculum vulgò, de quo Ovid, 2. de Arte:

Nec data profuerint pallentia philtia puellis

philtia nocent animis, spemque furoris habent.

Juvenalis ab In-ento-ibus Thessala philtia dixit,

13. Annule, qui Magicæ non ferris inutilis arti,
cum tua sidereis est rota picta notis.

14. Annule, quo solo si cedit dextra sinistra
fallitur: armillis est, puto, juris idem.

15. Annule, quem minimus digitorum gestit & Index
scilicet (f) hic Achates, hic Coriannos erat.

(f) visum acuit & medetur scorpionum ictibus, de sententia Plinij.

16. Annule, quem poscit minimo qui proximus un-
(qui est

eque tuo digitus (g) nomine nomen habet.

(g) Gell. l. 10. c. 10. & Macr. b. l. 7. c. 13. causam nominis explicant.

17. Annule, subtili vis ad præcordia venâ
cujus inexplicitâ traditur ire via.

18. Annule, quem ferro producit, & ære vetustas
optimus, argenti non grave pondus erat.

18. Ferreus & æreus anulus pari dignitate cum aureo.

8. Penultima res
à furto anulo
vindicata.

9. conjugij fœ-
derum, Testa-
mentorum pi-
gnus anulus.

Isidorus lib. 2.

Orig Tertull. l.

l. 2. de divinis

offic. c. 15.

10. Cancellario

rum & Secreta-

riorum Gno-

mon anulus.

11 Opum asse-

curatio tutela-

ris anulus.

12. Amuletum

& alexiterium

veneni anulus.

Busonius, Bezo-

ar & Nephriti-

cus si modò fa-

ma de illo vera

est.

13. Incantatio-

nibus sidereâ vi

aptus anulus.

14. Anulis &

armillis jusi-

dem efficaciz

ratione.

15. Iudici Acha-

tes auriculari

Coriannos de-

betur.

16. Anularis

penultimo digi-

to applicandus

Der Goldfinger

ger

17. Subtilis vis

negocii ad præ-

cordia ex anulo

tendens.

19. An-

D 2

19. Dialis, Iovis
Sacerdos anula
tus & aureus,
calices tum li-
gnei.

20. Annulus cē-
sus condus.

21. Anulus alijs
metallis admi-
xtus.

22. Gemmis in-
signes annuli.

23. Recensio
gemmarum ali-
quot.

24. Permutatio
anuli anni tem-
poribus.

25. Annulus cir-
cularis, rotarijs.

26. Sculptores
gemmarum, Pli-
niani.

27. Annulus
protuberans ce-
li beneficio.

19. Annule, sed cassum cui nunc vix sufficit aurum,
tale tamen prisca læva Dialis *habet.

20. Annule, qui totos minimo comprehendere census,
qui pretium fundi claudere parvus amas.

21. Annule, qui mistis etiam spectare Metallis
unaque quem totum Gemma cavata facit.

22. Annule, qui Sardâ (h) fulges, qui vincit Achate
quem decet ex Arabum littore vectus (i) Onyx.

23. Annule Berillo (k) renitens, viridiq; Smaragdo (l)
Cuiq; Adamas (m) & cui fulvus (n) Iaspis adest.

(h) Gemma a Sardibus reperta Plin. l. 37. cap. 7.

(i) Unguis humani candorem habet Chalcedonier Agricola.

(k) Pallido colore sed in aureum exeunte.

(l) Smaragdus ein Schmaragd allusit ad nomen Lucretius hoc versu:
Grandes viridium luce Smaragdi

(m) Dicitur à vi sui indomita autore Plinio. Incudibus Adamantes de-
prehenduntur ita respuentes ictum ut ferrum utrinque dissulter,
incudesque etiam ipsæ dissiliant.

24. Annule qui totos hyberno (o) sole premebas
articulos: pretij cui modus, æstus erat:

(o) In gestatione annulorū tanta olim vesania fuit, ut ad anni tempora
commutarentur, eoque luxūs perventum, ut le vires ætate, ponde-
rosiores hyeme gestarentur. Quod spectat illud Iuvenalis:

Ventilet æstivum, digitis sudantibus aurum

Proh rerum Dominos gentemq; Togatam!

quorum majoribus interdum & nociu scuris & armis ponderosissimis
gravare gravè non fuit, ijs scilicet molestum erat, Solidiores ætate in-
duere annulos? Sic Heliogabalus Princeps ad omnia foeda natus, co-
tidie novis digitos onerabat anulis, quosq; pridie gestarat, postridie
rursus sumere dedignabatur, profligata vitæ homo? Sed hæc per-
ditæ luxuriæ vestigia mittamus.

25. Annule, sigillum cui mobile dextera mollis
ventilat, & gemmam vertit in orbe suo

26. Annule, Pyrgoteles duro quem incidere ferro,
quemq; Dioscoridæ (q) sculperè docta manus.

27. Annule, cui scalpro quæ sæpe incisa figura est,
hæc aliàs cœli munere tuber habet.

(n) Versicolor gemma præstantis inprimis naturæ, sicut in veteri versi-
culo dicitur:

Au.

*Auro quid melius? Jaspis. Quid Jaspide? virtus.
Quid virtute? Deus. Quid Deitate? nihil.*

(p) Plin. l. 7. c. 37. & lib. 37. cap.

(q) Ælianus l. 1. c. 19. variaz Historiaz.

28. Annule, materies in quo ne sola placeret,
sæpe Triumphales adjiciuntur A V I.

29. Annule, qui Sphyngas, qui turpia corpora ranas,
sed tamen & magnos dignus habere Deos.

30. Annule, Cæsareos qui fers in imagine vultus,
(ah capital paulò quàm propè crimen eras)

31. Annule, qui Gygi Lydorum sceptrâ dedisti
Cui, te Perseæ (r) Cassidis instar habet:

32. Annule, at Euphratis (s) quem contra ripa(t) Se-
abstulit, & regni spem dedit esse ratam. (leuco

33. Annule, qui (u) Samio jactura negata Tyranno
quem miser, heu, nollet non periisse sibi.

(u) Agathocles Sicilianus ad regis majestatem ex humili & sordida pa-
tris figuli fortuna. De quo Ausonius: FORTUNAM REVEREN-
TER HABE &c.

34. Annule, (x) Cannensis quo sanguine judice, men-
(sa est

Carthago (y) modiis Romula castra tribus.

(x) Vicus Apuliaz, Romanorum clade h. e. 5000. ab Hannibale cæsis,
clarus. Cic. 1 off.

(y) Terror imperij Cic. ambitus ejus fuit stadiorum 360. h. e. miliarium
8. Germaniorum.

35. Annule proscriptor Noni quo Cæpio Drusum (z)
odit: & in Syllam se tulit ira Mari

(z) Liviaz Augustæ Filius qui in Germania periit cujus effigies exstat in
Vangionibus.

36. Annule, quem fatû docuit Demosthenis, & quæ
Annibalis celerem mortis habere viam.

37. Annule, quem loculo varium qui condidit uno
Romulea primus Scaurus (aa) in urbe fuit.

(aa) Qui talos habet pedum porrectos.

38. Annule, quo Magni Laurus ditata, Latinus
cum Mithridateas Iuppiter hausit opes.

37. Consul Romanus primus obsignavit loculos.

38. Mithridates anulis ditatus & auro.

28. Triumphis
decretus annu-
lus.

29. Anulis effigi-
es Deorum in-
sculptæ.

30. In anulis ge-
stare vultus Cæ-
sareos capitale.

31. Instar Cassi-
dis Gygi Lydo-
rum Regis anu-
lus fuit.

r] Ovid. l. 5 me-
tamorph.

32. Seleucus no-
bilitatus anulo
post transitum
Euphratis.

s] Paradyfi flu-
vii vide Breu-
nings Itinerari-
um.

r] Dux belli Ale-
xandri Magni
Appianus.

33. Fortunæ lu-
dibrium Samius
Tyrannus.

Las dich nicht
zu viel dün-
cken / gehe ge-
mach.

24. In pugna
Cannensi Car-
thaginensium mo-
di tres annulis
referti asporta-
ti sunt.

35. Sociale bel-
lû inter Capio-
nè & Drusum
Germanicû de
auctione navali
unde pudendû
dictu, origo civi-
lis belli.

36. Annibal e-
doctus anulo de

morte.

39. Distinctio
anulorum in æ-
de Veneris à
Cæsare ordina-
ta.
40. Marcello cu-
stodia anulorū
accepta fertur.

39. Annule, quem senis distinctum à Cæsare theiis
marmoreâ genitrix vidit in æde Venus.
40. Annule, non unum quem sacra palatia fervans
Marcello acceptum pulcher Apollo refert.

Ταμείον.

Annulorum sigillariorum
aliquot in gemmis sculptorum, quo-
rum apud Priscos tam Græcos quàm Latinos
usus, ex auro, argento, ære & ferro,
in IV. classes distinctum.

I. Classis annulorum aureorum.

- | | |
|------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1. Sarda | 1. <i>Aureus cum sigillo hinc inde versatili, Neronis & Agrippinae effigiem præ se ferente.</i> |
| 2. Onyx | 2. <i>Thurarium duabus stellis insignitum</i> |
| 3. Sarda | 3. <i>Duo galli concertantes in simeto</i> |
| 4. Onyx | 4. <i>Canis discerpens leporem</i> |
| 5. Cyanus | 5. <i>Effigies Julij Cæsaris, insidente columna Aquilâ</i> |
| 6. Sarda. | 6. <i>Virgo, unâ manu tenens cornu-copia, alterâ anchorâ.</i> |
| 7. Sarda | 7. <i>Tripes Apollinis</i> |
| 8. Sarda | 8. <i>Caduceum Mercurij</i> |
| 9. Onyx | 9. <i>Motacilla, Cinclus τειστοπυγίς, quod caudam irrequi-
etè motitet.</i> |
| 10. Cyanus | 10. <i>Parcarum Typus cum falce & aristis.</i> |
| 11. Onyx | 11. <i>Fani Bifrontis, Patulci & Clusij effigies,</i> |
| 12. Onyx. | 12. <i>Galli cum monedula duellum sive πομπάχια,</i> |

II. Classis annulorum argenteorum.

1. Con-

- | | | |
|----|--------------------------------------------|-------------|
| 1. | C oncordia pacis & Abundantia Typus | 1. Onyx |
| 2. | V ictoria Typus. | 2. Prasinus |
| 3. | Leo à Scorpio iectus, sauciatus | 3. Achates |
| 4. | Puer alatus comprehendens Cycnum | 4. Sarda |
| 5. | Heliotropium, sive Solsequium. | 5. Iaspis |

III. Classis annulorum cereorum,

- | | | |
|----|-------------------------------------|-------------|
| 1. | I ovis ales, Aquila | 1. Prasinus |
| 2. | Spei bonae Typus, cum pala argentea | 2. Sarda |
| 3. | Ætæ & unâ cum duabus aristis | 3. Onyx |
| 4. | Venus in sella collocata | 4. Prasinus |
| 5. | Lucretia serpente uberibus admoto. | 5. Achates. |

IV. Classis annulorum ferreorum,

- | | | |
|-----|-----------------------------------------------|--------------|
| 1. | L upa Romulum & Remum lactans | 1. Sarda |
| 2. | Deus genius | 2. Sarda |
| 3. | Julius Cæsar quadrigis vectus in sella curuli | 3. Sarda |
| 4. | Hercules Romanus clavam tenens | 4. Sarda |
| 5. | Fides publica | 5. Sarda |
| 6. | Abundantia typus, Cornucopia | 6. Sarda |
| 7. | Victoria terrâ mariq; parva | 7. Iaspis |
| 8. | Romæ Typus | 8. Iaspis |
| 9. | Ales Jovis, Aquila | 9. Iaspis |
| 10. | Corvus Apollinis | 10. Sarda |
| 11. | Victoria pacifera | 11. Sarda |
| 12. | Mars gradivus | 12. Onyx |
| 13. | Spei typus | 13. Onyx |
| 14. | Aequitas unâ cum bilance | 14. Achates |
| 15. | Mutius Scaevola Romanus | 15. Achates |
| 16. | Tropheum | 16. Granata |
| 17. | Neptunus. | 17. Achates. |

Benivolo



Beni-volo Lectori

ἑυπαγία καὶ δεξιότης



xhibemus tibi, a
 mice Lector, *φρόνημα*, seu
 mavis, discursum nostrū
 anularium, in quo for-
 tasse tam omnibus nos
 satis fecisse certum est, quā nondum
 nobismet ipsis. Ad alios enim quod at-
 tinet, aliquid necesse est quivis hac in
 parretribuat nobis, cum nulli possit
 amplius. Et verò metuendum fuit mi-
 hi, ne quis hoc argumentum præoccu-
 paret, aut ante nos invaderet. Ipsi verò,
 quod ne ita quidem satisfecerimus no-
 bis, ingenuitatis nostræ & candoris *τεκ-
 μήριον* est, quo etiam fortasse meremur
 tuum. Cum tantum ad summam ope-
 ris totius perfectionem desit, quantum
 soli nos ex iis, quæ apud nos *ἐν ἀνεκδότοις*
 latent,

Cic. epl. x. ad Fa-
mil. l. i.

Benivolo



latent, dijudicare possumus, tunc iusto
& tempori reservanda. Quod ipsum ta-
men nequaquam vitio meo factum,
qui prodigus potius in iuvandis, pro-
movendis, provehēdis literarum studi-
is, quā parcus tenaxque esse soleo, uti
omnibus probè innotuit, quibus aut
ego aut mea annis abhinc X X X. vel
circiter etiam.

Cic. in Ep. ad
Atticum nō-
dum edita.

Demonax glorianti cuidam ejus-
dem se artis inventorem *πρωτον και μονον* esse,
acutè respondebat *ει μεν πρωτον, ε μονον: ει δε
μονον, ε πρωτον*. Nos verò ne hoc quidem,
quod plerique in maximā laudis parte
ponunt, sufficere nobis arbitramur, si
primi hæc tractasse dicamur, nisi etiam
secundi simus: non quod aliis quicquā
præreptum hac in re velimus: aut cui-
quam eadem feliciter tractandi viam
intercludamus, sed ut æquum lectorem
non modò habeamus, verum etiam, si
fieri posset, demereamur. Quod in anu-
lis nunc præstitum *παχυλων* suo tempo-
re in

E

re in

Plautus.

re in recensione Numismatum versante
industria nostra tentabitur. Satis sit nūc
præivisse. Cætera lectori harum rerum
perito per se expendenda relinquimus,
quem valere jubemus, benedicendo,
benefaciendo omnibus, nobis quoque,
& nostra æqui boniq; consulere opta-
mus.

Deprecatio ad Lectorem, qua usus dicitur
D. Bona-ventura.

*S*is mihi Corrector, ressecando superflua lector,
*V*eraq; digneris, qua desunt, jungere veris.
*O*mnem defectum partim studio brevitatis
*S*cribendis tribuas, partim studio ruditatis.

In opus aureum

De annulorum aureorum origine, varietate, usu, &c.

OPERA

M. HENRICI KITSCHII,

Viri clariss. & excellentissimi Bibliothecarij Illu-
striss. principum Anhaltinorum digniss:
productum.

*V*idi, queis rutili circum, rota fusilis, auri
Vallaret digitos mole gravante suos:
Delicijs oneratus abit, qui talia curat,
Delicias animi verus Apollo facit.

Exhi-

Exhibuit tales, scriptis mediantibus orbi,
Annulus Aonij tersus ab arte chori:
Cujus origo, genus, decus, usus, abusus & ætas
KITSCHI clare tuum promerere stilum.
Ingenium in digitis Teutonibus Itale condis;
KITSCHIUS en cerebri pandit ab arce suū:
Aureus assiduo consumitur annulus usu,
Illius à Genij luce perennat honor.

L. I. L. M. D.

F I N I S.



Explicat tractatus de signis medianis et
Agnoscat Agnoscat Agnoscat
Cognoscat Cognoscat Cognoscat
Kognoscat Kognoscat Kognoscat
Lagnoscat Lagnoscat Lagnoscat
Magnoscat Magnoscat Magnoscat
Nagnoscat Nagnoscat Nagnoscat
Oagnoscat Oagnoscat Oagnoscat
Pagnoscat Pagnoscat Pagnoscat
Qagnoscat Qagnoscat Qagnoscat
Ragnoscat Ragnoscat Ragnoscat
Sagnoscat Sagnoscat Sagnoscat
Tagnoscat Tagnoscat Tagnoscat
Uagnoscat Uagnoscat Uagnoscat
Vagnoscat Vagnoscat Vagnoscat
Wagnoscat Wagnoscat Wagnoscat
Xagnoscat Xagnoscat Xagnoscat
Yagnoscat Yagnoscat Yagnoscat
Zagnoscat Zagnoscat Zagnoscat

L.L.M.D.

F I N I S



W 1999

[70/98]

ULB Halle 3
001 915 363



56


V3 17 ✓
Retro ✓





70





71.

aurcorum
 VARIETATE,
 ABVSU,
 EFFICACIA.

PLINIANUM
 OGICUM.

*torum, Archiducum, Ducum &
 ecimen, Cedro dignum, cui accessit
 a Hugonis Grotij Batavi.*

te

LIPSICO M. B.

us.

dijs non impenditur.
 arcum.



*Dr. Cronio
 V. Juno de
 Monacho*

anz.
 LVDIbra reor.

MDLXVII

